DE

VULNERUM FACIEI SUTURIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXV. MENS. JVLII A. MDCCCXL.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

ARMINIUS WOLLHEIM

VRATISLAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:

G. DE BUENAU, MED. ET CHIR. DR.
J. MAYER, MED. ET CHIR. DR.
C. SPAETER, JUR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

VIRO

CELEBERRIMO, AMPLISSIMO

J. F. DIEFFENBACH,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI EIUSQUE PROFESSORI IN UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA, REGI A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, MEDICO SUPREMO IN NOSOCOMIO CARITATIS BEROLINENSI, PRAEFECTO SCHOLAE FAMULANTIUM AEGROTIS, ORDINUM INCLYTORUM BORUSSICI DE AQUILA RUBRA, ROSSICI ST. VLADOMIRI, SUECICI VASANI, MAGNIDUCATUS BADENSIS DE LEONE ZARINGENSI, HASSICI LUDOVICIANI EQUITI, COMPLURIUM ACADEMIARUM ET SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

PRÆCEPTORI DILECTISSIMO

SUMME COLENDO

NEC NON

PATRI

OPTIMO CARISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Nonnullis hunc laborem irritum visum iri suspecto, qui suturas vulnerum faciei quasi chirurgiae levioris artificium non tanti aestimant, ut, quae de iis hucusque scripta sunt, recognoscantur sive augeantur. Nihilominus de iis commentationem lectori benigno offerre animus tulit, non qua rem a viris eximiis abunde tractatam mea ope illustrare coner, sed quum ad subtilissimam chirurgiae cognitionem eam spectare nec non magni momenti esse persuasum habeam. Quanti enim faciei forma servanda deletaque recuperanda cujusquam interesse debet, nedum cui ipsa sanitate magis cordi est, quantum e sutura recte et prudenter applicata pendet, ut saucio parcatur curaque quam maxime acceleretur! Quare chirurgi celeberrimi non dubitarunt, quin suendi arti studium intentum dicarent methodisque et apparatibus inveniendis, tentandis, corrigendis assidue incumberent; neminem experientiae inde haustae, neminem, quam dederit, operae poenitere arbitror. Insuper ut suturis utamur, occasio quotidie praesto est; vulnera fortuita, primae formationis vitia, tumorum excisiones acuum applicationem accuratam et curam secundariam cautam requirunt, nec secus hic ac in morbis nescio quemadmodum perniciosis medici inertia atque imperitia nocere potest. Ut nihil dicam de incommodis et adversis, quae cicatrices fastidiosae afferunt, de hominibus iis, quorum vitae fortuna hac re subruitur, de feminis plane, quas morte potius vultus paulo foedati nonnunquam piget. Si omnes maximas medico

gratias habent, summis eum efferunt laudibus, si vulnerationibus eleganter sanatis vexantem deformationis timorem avertit. Quoad fontes, quibus in hac dissertatiuncula nitor, cum permulta, quae huc pertinent, legi opera, tum in clinicis chirurgicis imprimis illustrissimi Dieffenbach exempla quotidie intuitus sum; praeterea privatae illiusmodi casus contemplandi et persequendi occasionis haud omnino expers fui. Itaque modestum meum laborem lectoris indulgentiae tradere ausus, venia sit, peto, voluntati, quum vires desint; si peritioris alicujus attentionem hocce opusculum allexerit, summum erit operae pretium.

Inscripto apparet, de iis solum faciei vulneribus loqui mihi propositum esse, quibus ut optime medeamur sutura cruenta indicata est. Quoniam vero discerni oportet, quae vulnera primam intentionem, quae secundam requirant, ea differentia, praemissis de vulnerum illorum natura nonnullis, prima commentabitur.

Vulnera faciei

eo praecipue excellunt, quod motibus spontaneis pariter ac non spontaneis maxime exposita sunt, quum facies totius corporis pars mobilissima ejusque musculi tot affectibus psychicis, ut risui, fletui; physicis, ut tussi, respirationi, sternutationi; spontaneis postremum functionibus, quae omitti vix queunt, ut loquendo et mandendo obnoxii sint. Unde nusquam tantum, quantum in facie, marginum vulneris distendendorum periculum fieri liquet, neque suturae, neque fasciae sive emplastra partes eas, quarum homo ipse compos non

est, in perpetua quiete continere possunt; extremitates, caput, cervix vinculis coguntur, ne flexionem neve extensionem subeant, itaque ipsa voluntas frangitur, facies autem coërcitu et domitu difficillima. Alterum deinde momentum non flocci habendum, cui operationis electio adaptanda est, quatenus quidem indicationibus gravioribus convenit; dolores dico, quibus nasus, labia, palpebrae, genae vehementissime afficiuntur. Cur non ab aegroto cruciatus quam potissimum arceantur, modo de sanatione securi simus; multum igitur ex instrumentis methodisque pendet. Tertium denique formositas servanda medici interest, et hanc indicationem nulli alii, ni forte vitali, plerosque aegrotos postponere credo.

Non pari modo omnes faciei regiones ad sanationem et formae recuperationem inclinant. In iis, quibus ossa substrata sunt, ceteris paribus, cicatrisationem celerius progredi signaque minus manifesta relinquere, quam ubi adeps multa laxiorque cohaerentia, experientia docet. Frontis igitur et nasi superioris vulnera, ossibus incolumibus, eventu prospero et cicatricibus extinctioribus oblitis arctis gaudere solent, in cartilaginea nasi parte, in mento et genis, praesertim si tendines incisi sint, sanationem tardius repere et sulcos latiores remanere plerumque videmus. Arteriarum et glandularum majorum laesio, corpora aliena inhaerentia, ossaque fissa sive corrosa periculum majus et plurimis in casibus primae intentionis contraindicationem ponunt. De vulnerum scissorum et laceratorum aliorumque generum differentia nihil hic dico, sed lectorem ad ea, quae de quarumcunque corporis partium vulneribus valent, remitto. Id solum exhibendum est,

primam intentionem, si quidem sine curae detrimento fieri possit, in facie potius, quam alibi, tentandam esse. Non despiciendum est, utrum vulnus aliquod faciei, praecipue scissum, si in carnem usque penetravit, secundum fibras musculorum decurrat, an iis transversum sit, cui discrimini non semper satis ponderis tribui judico, nimirum in illis suppuratio profunda non ita timenda est, quum musculi in latum non distrahantur, eorumque fibrae telo sejunctae inter se condensatae remaneant, transversa autem vulnera latius dehiscunt, suturae et potissimum emplastra motibus facilius extenduntur et concretio longinquius progreditur*).

PRIMA INTENTIO.

Ubi sanationis sine suppuratione et sine malo graviore residuo perficiendae spes, ibi prima intentio indicata. In faciei vulneribus tertium quoddam saepius accedit, quod primam intentionem vetat, deformitas timenda. Substantia enim perdita, sutura propter magnam partium teneritatem et mollitiem palpebras, labia, alas nasi nonnunquam distorquet, et ectropia, anguli oris versiones aliasque foeditates parit, quae multo aegrius quam quae remansissent, cicatrices latae feruntur. Quare substantiae dammum in facie secundam modo, modo primam intentionem, suturam indicat, quo magis minusque pericula illa imminent; imprimis post excisiones arte factas istud meditationi esse debet, ne quis e Scylla in Charybdin incidat. Ex altera parte vulnus quodlibet faciei parvum et superficiale, dummodo adeo altum sit, ut sutura melius quam emplastris coarctatum iri polliceatur, suturam poscit; reliquo in

*) confer. Richteri elementa chirurgiae tom. 1. §. 351.

corpore, an suppuratio parva fiat signumque exiguum remaneat, nemini moeroris est; ibi emplastra saepius sufficiunt, praesertim quum acubus multi abhorreant; sed quotus quisque tam pavidus, quin dolorem brevem sustineat, ne maculam conspicuam perpetuo prae se ferre damnetur? Si ossibus in fundo vulneris sitis telum vulnerans laesionem aliquam intulit, haec non semper suturam interdicit, et valde errant, qui sollicite specillum immergunt, undique fundum eruunt et simulac asperi quidquam aut rimulam animadverterunt, periculum maximum minari clamant et acubus filisque caute abstinent. Nisi fractura, fissura, sive ruptura ossis apparet, faciei securi suturam applicent; non dubito, quin anxietate hisce in casibus tantum quantum temeritate noceatur *). Sunt enim, qui ingenti suendi verecundia capti, emplastris se idem, quod alii suturis praestare profiteantur, isti Cynici hominum vanitatem sine dubio omnino spernunt, alioquin scirent, cicatrices et toros faciei impressos nemini decori sive deliciis esse. Francogallus ille, qui suturas cruentas plane rejecit, qualia emplastra paraverit, quae illarum locum omnino explerent, divinari non potset **). Jam ad ipsas suturas earumque diversas methodos transeo, quam commentationem principalem hujus dissertationis partem esse volui.

SUTURA NODOSA.

Duo sunt momenta, quibus sutura nodosa circumvolutae praestat, alterum quod filum tamquam corpus

*) Pibrac, sur l'abus des sutures. Mémoires de chirurg. tom. III.

**) Belletete: Ergo in plerisque casibus suturae cruentae inutiles et noxiae sunt. Paris. 1764.

non ita durum, irritationem minorem profert, alterum, quod quarundam faciei regionum positio acum rectam ingeri non sinit. Ergo, hic ille quaeret, ubi inflammatio major verisimilis, ubi vulnus profundius, latius hiat, ibi suturam nodosam applicare vis, quae scilicet non inflammationem tantam, quantam metallum in carne fixum allectura sit? Minime, respondeo. Vulnus in partibus profundioribus acu firmius continetur, et, ubi propter vulneris magnitudinem et altitudinem inflammatio jam non vitanda est, ibi num acu paullo augeatur, nihil interest. Immo praestantiae illae, quae suturae circumvolutae principatum vindicant, in majoribus vulneribus praecipue valent. Attamen si cutis superficialiter tantum incisa est, quae laesio, nisi suatur, suppurationem aliquam subituram et cicatricem inertiorem relicturam esse praevidetur, tunc filum injiciatur; inflammatio enim magna non timenda est. Cur acubus intus positis inflammationem quamvis exiguam proferamus, cur non margines sibi non parum propinquos, filis uniamus, quibus satis bene contineri possunt; cur post operationem saucium acus molestas quam fila commodiora in cute ferre malimus? Attamen respondebitur, acuum curvarum transfixionem vehementibus doloribus afficere, ancipitem earum aciem acerbe sentiri et foramina nimis ampla relinquere. Et hoc jure quidem objicitur. Saepissime sutura nodosa in singulis locis applicanda haud inepta videtur (ejusmodi casus postea enumerabo), et eo tantum rejicitur, quod acus curva difficilius regi et perduci potest doloresque magnos affert. Saepius quoque locus ad acum curvam infigendam non satis opportunus est, quamquam si jam filum sine molestiis et impedimentis per vulnus trahi posset, eodem in sin-

gulari casu sutura nodosa promptior esset. Hisce in casibus combinatio instrumentorum ad utramque methodum pertinentium fortasse non plane absurda videbitur. Acus recta chalybea, (earum instar, quae feminis usitatissimae sunt), in cujus foramen filum receptum est, per margines vulneris pellitur, et supra rimam fili fines ligantur. Haec igitur sutura nodosa acu recta instituta est. Sed acus finis superior, in quo foramen ad filum recipiendum patet, acutior est, quin digitum laedat et nonnisi multa cum opera provehi potest. Haecce molestia ea acu, quam in tabula huic opusculo adjecta figura I. depingit, ut auferetur fore spero. Acus simplicissima est, ad libitum tenuis, finis superior capitulo rotundo praeditus, foramen autem non in hoc superiore fine, sed haud procul ab inferiore situm, filum recipit. Capitulum illud operatori manubrio firmo et commodo est et acus facillime protundi potest. Sic acus in alterum latus vulneris immittitur; si apex cum filo duplicato (ut vulgo) in latere opposito trans rimam egressus est, filum alterum (duo enim esse videntur) digitis manus sinistrae aut tenaculo retinetur, acus per canalem, quem ipsa fodit ex eodem, quo intravit, foramine retrahitur. Ita in utroque rimae latere fili alter finis prominet et ambo deinde in nodum, ut sutura nodosa fiat, complectuntur. Non desideratur, ut capitulum cochlea ad acum fixum sit, ita ut demi possit; hoc enim incommodius et nullo modo utilius esset. Capitulo autem multo firmius et tutius, multo majori cum vi, quam acus acutenaculo provehitur. Haec acus, nisi fallor, duplicem praebet opportunitatem, quippe quae non solum facile dirigatur, sed etiam celerrime et mitiori cum dolore perlabatur; operator impavide trans-

figit et non habet, quod metalli deflexionem (ut apud acus aeneas) metuat, quoniam chalybs est. Periculum sive curae moram nullo modo hac methodo condi, cuilibet ut perspicuum sit, fore spero. Exempla nonnulla suturae nodosae acubus communibus rectis factae narrare liceat, quibus colligi possit, qualibus in casibus acus recta curvae ad nodosam suturam instituendam praeferenda sit; eventus prosperos fuisse apparebit, et si capitulam et structuram modo descriptam acus habuissent, operatio ipsa etiam commodius et citius facta esset.

Juveni cuidam ensis malam adeo profunde cecidit, ut cutis et musculorum omnium, masseteris, buccinatoris, orbicularis oris minorumque fibrae penitus fissae essent; vulnus inde ab aure usque ad labii superioris marginem se porrexit. Huic acus, quales a Thermis Carolinis nomen ducunt, et quas „acus insectiferas" appellare liceat, decem applicavi, fundum vulneris iis coarctavi et filis circumvolutis eas vinxi. Suturam accuratius explorans inter acus binas spatia nondum satis congruere animadverti, ita ut digitis distracta adhuc paullulum hiscerent. Bene regulam illam cognitam habebam, acus inter se tam propinquas esse debere, ut fila lanea circumvoluta alterum alterum attingunt omnesque hoc modo rimae supremae partis aeque comprimantur. Sed num homini scrophuloso, succis cachecticis turgenti, ad suppurationem igitur valde inclinanti, praeter decem illas acus etiam novas adjicere licuit? Nonne potius inflammationi ingenti et suppurationi subventum esset, si pro decem acubus octodecim inhaerentes mansissent? Itaque marginum, qui in illis intervallis paullo densius comprimendi erant, filis tantum conjungendo-

rum consilium cepi; quoniam tamen sutura superficialis esse debebat, (nam supremorum tantummodo marginum reunio requirebatur) acus curvas, profundius penetrantes, et foramina lata incidentes, rejeci et, illam acum in tabula depictam nondum praesto habens, fila acubus rectis communibus injeci. Hoc feci, ne (quamquam fundus vulneris satis contractus erat) in superficie rimae cicatrices paullulum tumentes remaneant. Eventu tam bono gavisus sum, ut post octo dies nihil nisi linea tenuissima plagam significaret, in labio prorsus nemo, duos passus distans, residui aliquid cernere possit.

Vir quidam telo acuto palpebrae superioris vulnus prope marginem ciliarem passus erat. Quum saucii interesset, ut postridie integer evaderet, sutura nodosa acu communi recta applicata est, instrumenta chirurgica enim deerant. Frigore per horas quatuor adhibito et postridie filo remoto, omnino restitutus ille dimissus est. Etiamsi completus apparatus chirurgicus praesto fuisset, tamen illa acus recta eligenda erat, quia curva aut tarsum laesisset, aut filum non satis profunde tractum foramina sibi nimis propinqua rupisset; acus insectifera in eo loco fuisset molestissima.

Tertium adhuc casum narrare permissum sit, quem an perspicuum reddere possim, nescio. Vulnus infra orbitam ita ictum erat, ut parietes plagae non praecipites sub angulo recto a superficie cutis descenderent, sed valde obliqui, proclives, quare alter angulum admodum obtusum alter acutissimum cum faciei superficie fingeret et cutis tamquam decorticata esset. Supremi margines, qui paullo se reflectere et livescere coeperunt, filis in acus rectas conjectis jungebantur et cetera vulneris pars, quoniam labia vulneris accurate

et dense sponte congruebant, emplastris adhaesivis comprimebatur. Post triginta horas fila extracta sunt, dein cicatrix in dies magis evanescebat.

Nimirum in acubus communibus et operator et saucius capitulum desiderant; ille enim, acu tarde et operose immersa, diutius cruciatur, hujus autem digitum superior acus finis pungit.

Ergo acus illius capitatae rectae, quam in tabula depinxi, ibi locus esse videtur, ubi supremi faciei vulneris margines leviter reuniendi sunt; inter omnes fortasse acus lenissimo afficit dolore. Quamvis igitur in paucis, in quibusdam certe casibus, promptam eam se praebere credo.

Acus curva nuper sutura circumvoluta, quoad faciei vulnera, merito abrogata est; nihilominus facere non possumus, ut omnino ea egeamus. Si prominentiae faciei ibi, ubi e plano ascendunt, laeduntur, itaque vulnus in angulo quodammodo positum est, exempli gratia in septo narium, in ala nasi, in angulo orbitae, in menti flexura; acus recta immitti non potest, et curva uti oportet.

In palpebra inferiore, si quidem transverse incisa est, acus recta recipi non potest; apici enim exitus non patet, sed in palpebram superiorem sive in conjunctivam facile aberraret; hic igitur acus curva, parva et tenuis praeferenda videtur. Palpebra superior, quippe cujus cutis protrahi et tolli possit, acui rectae sive insectiferae sive capitatae promptius pervia est.

In partibus solidis et duris pertinaciter acui obstantibus unam in binas acus filam conjicere, easque

ab interno pariete extrorsum pellere juvat; suum utraque plaga latus tutius et mitius perforat*).

In ceteris plerisque casibus, in quibus propter suppurationis periculum aliamve causam acuum insectiferarum metallum in vulnere remanere vetitur, nodosa igitur sutura pro circumvoluta requiritur, hanc nodosam acubus rectis capitatis non incommode institui potest.

Quoad acuum ad suturam nodosam adhibitarum formam et structuram, semiculares, segmento circuli similes, rectae, infra tantummodo flexae, aut acie duplice aut triplice praeditae, modo rotundae, modo planae commendatae sunt. Certa de earum forma regula non ubique probatur; illis autem plane semicircularibus in vulnerum faciei sutura chirurgi recentes libenmitise utuntur**).

SUTURA CIRCUMVOLUTA.

Hanc suturam longe praestantissimam esse satis constat; auctoritates, quae ei locum in chirurgia egregium paraverunt, tantae sunt, ut ejus apologia non opus sit. Sed optimum aliquid esse, scire non sufficit; meditans ingenium causas et argumenta quaerit, et quotcunque hanc suturam circumvolutam in promptu habebant, quotus quisque rationem sibi reddat, decernere nolim. Ergo quum glebae adhaerere et consuetudine solum regi non deceat, sed cujusque methodi indicatio caute animo volvenda sit, praesertim si, ut in oris forma servanda, ne minimum quidem momentum negligere

*) cf. Bell chirurg. et Larrey Traité etc.
**) cf. Rust Handbuch der Chirurgie. Bd. 1. Art. Acus.

liceat, suturae circumvolutae praestantias demonstrare tento adjectis nonnullis de encheiresi notationibus.

Filum, sutura nodosa carni infixum si constringitur, fibras musculorum corripit, et quando inflammatione partes intumescunt, accidere potest, ut aut filum ipsum extensione relaxetur, praesertim humiditate absorpta, aut, si aeque compacta remanet, canalem, in quo latet, praecipue foraminum externos margines, incidat et persecet. Contra sutura circumvoluta acum immobilem ponit, filum nusquam partes internas tangit, easque non constringere nequit, quam scilicet violentiam dolor mordacissimus, nervorum filo forte complexorum spasmi, aliaeque molestiae interdum sequuntur. Filum enim in externa cutis superficie jacens, labia vulneris non corripit, sed modo inter se apprimit.

Porro apud suturam nodosam inter bina fila, nisi forte alterum alteri propinquissimum injectum sit (et hoc quidem operosum est et inflammationi nimiae ac suppurationi favet) tamquam sacculi sive foveae in rima suprema hiscentes interdum relinquuntur, quia utrinque rima constringitur et ita in spatio intermedio margines seorsum urgentur. Nihil ejusmodi in sutura circumvoluta minatur; acuum intervalla non aperta manent, etiamsi acus latius distant; ambigua eorum comprimendorum methodus hoc praecavet. Alteram dico, quae inter binas acus filum crucis forma traducere docet, alteram a Dieffenbach maxime probatam, qua acus quaeque filo non sericeo neque lineo, sed laneo, crassiore ergo, circumvolvitur; circumvolutio toties fit, donec inter se fila vicina attingant, certe haud procul absint. Irritatio, quam ter quaterve hac methodo adhibita in sublimi vulneris parte oriri contemplatus sum,

num filo laneo, an aliis causis sit adscribenda, contendere non audeo; id constat, Dieffenbachium, qui sine dubio inter omnes splendidissimos suturarum eventus nactus est, prosperrime hanc methodum adhibere, cujus observandi occasio mihi abunde occurrit. Quare suturam circumvolutam filis laneis applicatam hucusque aptissimam ad cicatrices subtiles celerrime proferendas esse liquet.

Manifestissima fit magna inter suturam circumvolutam et nodosam differentia, ubi vulnera tumorum excisione aut vitiis congenitis orta reunire studetur, gnarus et peritus illi victoriam non derogabit. Quanta enim distensio, quantum persecandi periculum filis transfixis afferetur! Imprimis labium leporinum multas de hac re controversias provocavit, tandem plerique chirurgi eo convenerunt, quod sauciorum illorum salutem in sutura circomvoluta potissimum positam esse concedunt.

Ne denique de acuum ipsarum conditione loqui omittam, multas ambages semper rationi simplici praelatas esse dico, praecipue labio leporino medendi studium varias et exquisitas modificationes ad lucem tulit. Quamquam id duntaxat propositum erat, ut margines duo conjungantur, suam quisque peculiarem appendicem atque emendationem invenit; acus Eckoltianae ante omnes celebrabantur et a multis summa iis gloria vindicabatur*); quae tamen monstra, etiamsi reunio intenta non deficiat, frustra violationibus accerrimis affligant, velut moles gravis in vulnere perseverantes, ut pus e foraminibus emanet, efficiunt, et cicatrices deformes relinquunt.

*) Bönten de suturis vulnerum. Berol. 1827.

Prorsus in acuum propria structura nimium ponderis locatum est; sic acus Heisteri, Petiti, Richteri, Graefii, aliorumque multorum acus ortae sunt. cochleis, capitibus, cannulis, tubulis, mucronibus exstructae*). Quo quis simplicior apparatus, eo magis idoneus. Unde venit, ut acus insectiferae a Dieffenbach commendatae ceteras omnes, ingenti crassitudine et complicationibus incommodas obsoletas reddederent; hasce acus simplices soliditate et longitudine libita eligere licet; incredibilem saepe effectum habent et in clinico chirurgico nosocomii caritatis Berolinensis, ubi quotidie adhibentur, paene nunquam successum splendidum vitant. Vulnera scissa et lacerata, tumorum, scirrhorum et teleangiectasiarum amplissimarum exstirpatione, maxillae resectione, morsu denique orta sive rhinoplastices gratia facta paene formose reuniri ibi contemplandi occasio satis oblata est. Et haec omnia suturae circumvolutae, haec acubus insectiferis debentur.

Nonnulla de suendi encheiresi.

Manus sinistrae digitis labia vulneris continenda, acum (si de sutura circumvoluta sermo est) pollice et

*) conf. Rust, Handbuch d. Chirurgie Bd. I.
Bell, Lehrbegriff d. Wundarzeneikunst. Th. III. Taf. XI.
Krombholz, Acologische Tafeln.
Garengeot, Instrum. Tom. I.
Platner, Inst. chir. rat. §. 599.
Mémoires de l'academie de chirurgie de Paris. Tome 4. pag. 386.
Fabr. ab Aquapendente Chir.
Dieffenbach in Heckers Annalen Bd. 8.
Bierkowsky, Operat. pag. 795. Tab. XLVI.
Fritze, Miniatur-Armamentarium etc.

digito tertio prehendendam, atque indicem capitulo imprimendum esse, notum est, item acus acutissimas, oleo vel sebo unctas requiri. Levari autem operationem credo, si inter suendum orae vulneris non comprimuntur solum, verum etiam secundum rimae directionem distenduntur, ita enim per partes fixas et tensas apex sine haesitatione firmius et lenius labitur. Digitis igitur manus sinistrae indice et quarto compressio, medio autem et pollice simul tensio ejus loci, in quem pungitur, fiat; tensio primum in altero latere, deinde, ubi apex versus medium fundum progressus est, in opposito instituatur.

Cavendum est, ne membrana mucosa acu laedatur, nisi forte alia quaevis ratio hunc metum repudiare cogat; si membrana mucosa transfixa est et acus in ea diutius perseverat, saepissime foramen suppurationem init curam inhibentem et admodum injucundam. In vulnere malae, qua in suenda membrana mucosa pluribus punctis acuum insectiferarum perforata erat, suppurationem fusam in mala interna ortam, gingivam quoque erosam factam esse et genam cum maxilla superiore concrevisse memini. Quare, quominus apex in tunicam mucosam delabatur, prohibendum est, et istud forsitan acu quadam, quam tabulae adjectae Figura II. pingit, impetratur. Duos habet apices, ceterum acui insectiferae plane convenit. Apex altera in alterum vulneris labium, et quidem intus pungitur, capitulum pilei instar apici opposito imponitur. Hoc capitulum in tubulum cavum exit, cujus lumen apice amplior, sed trunco acus angustior est. Apex in tubulo cavo latet (qui scilicet apice longior esse debet, ne eum offendat et obtundat), tubuli orificium acum arctissime

complectitur. (Cochlea, qua tubulus ad acum affirmetur, non opus est; intorsio enim et retorsio longinqua.) Acus deinde ita tenetur, ut apud suturam circumvolutam omnino praescribitur atque e fundo versus superficiem cutis expellitur. Ubi apex vacuus satis prominet, capitulum ex apice, qui adhuc intra rimam plagae est, demitur et alteri illi apici, supra cutem prominenti, imponitur; quo facto pari modo oppositum vulneris labium apice, qui prius capitulum portaverat, e fundo versus cutem perfoditur. Utroque apice prominente, capitulum seponitur, filumque circumvolvitur; apices deinde forfice amputantur. Hoc modo acus juxta tunicam mucosam dirigi et ab ea arceri potest, dum apud methodum usitatam, simplicibus acubus insectiferis institutam, operator non satis sollers atque excercitatus, si acum extrinsecus immergit, et latentem provehit, facile in tunicam mucosam aberrare potest. Haec methodus prohibet quoque, ne justo sublimius acus ducatur, quo vitio fieri solet, ut supremi margines conglutinentur, profundior tamen pars cava maneat, et fistulae sive abscessus oriantur*). Quod ut apud suturam nodosam evitet, Bell filum in acus duas conjiciendum commendat, quae methodus idem pro nodosa, quod ista modo explicata pro circumvoluta est. At vero, ut istam acum in praxi saepe promptam esse contendam, tantum abest ut, si semel non inutilem se praebitura sit, contentus sim futurus. Pretium altum eo moderatius reddi potest, quod millia acuum eidem tubuli lumini adaptatarum fabricari curantur.

Si vulnus aliquod versus os tendit aut in ipso labio positum est, sutura inde a fine ori propiore inci-

*) Confer. Richter §. 337.

piat et accurate usque ad oppositum finem continuetur, (sit nodosa sive circumvoluta) ut, si qua iniquitas suturae remaneat, ea procul ab ore absit.

In vulneribus cum substantiae defectu sanandis, quae aut tumorum excisione orta, aut morsa aut inusta sunt, cavendum est, ne post contractionem sutura factam, si vulnus palpebrae vicinum est, ectropion, si ori, labiorum distractio et obliquitas prodeat; incisiones vicariae, illic prope marginem orbitalem, hic quam maxime ab ore remotae faciendae sunt, quas per secundam intentionem sensim sanare opus est.

Priusquam fila afferuntur, acus omnes sint fixae; qui acum quamque, simulatque ingesta est, statim filo circumvolvit, ipse ob stricturam partium majora passim impedimenta sibi objicit.

Arterias laesas, sanguinem ejicientes, donec digito eas comprimere et profluvium sistere licet, quin ligemus, abstinendum est; quod tamen ubi vitari non potest, hamulo optime arteria protrahitur, tenaculum enim nervos, fibras et telam cellulosam una cum vase comprehendit, et ligaturam difficiliorem reddit. Si plaga penetrans est, fili, arteriam ligantis, fines non extrinsecus, sed intus ponantur, quominus cicatrix externa dilatetur.

Quando suere tempus sit, chirurgi dissentiunt. Quamquam periculum in mora esse non solet, tamen aptissimum videtur, paullo post vulnerationem, sanguine sedato, et fundo coagulo purgato suturam applicare. Nam quum, ut nonnulli volunt *), horas sex cunctati sumus, partes jam magis minusve intumuere, itaque

---

*) Cf. Richter.

fila tumentibus applicata, si tumor recidit, laxa fiunt, neque satis arcte coërcent.

Fila rotunda taeniformibus, quae acrius incidunt et nimium loci occupant, praeferenda sunt, dummodo cera aut sebo oblinantur.

Richter fila in sutura nodosa non plagae directionem sequi, sed secundum fibras musculares currere vult, immo regulam nullam ibi valere alii affirmant, quia plaga verti et flecti nequeat. Item utrum labium vulneris prius transfigatur, ex opportunitate pendet; si fieri potest, immobilius prius acus ingrediatur. —

Ne, si margines amputare necesse est, (ut in labio leporino) operator substantiae nimis parcus sit; quo latior superficies vulnerata offertur, eo reunio firmior.

CURA SECUNDARIA

emplastris superponendis, inflammatione supprimenda, acubus removendis, et suppuratione, si eam praevertere non contingit, temperanda constat, et quidem ipsa sanationis partem principalem efficit. Ecce intima chirurgiae peritia, perfecta processuum organicorum cognitio valent, et naturae profanus pariter ac alias labitur et errat, initiatus autem, quaecunque pareutur ac fiant, perspicit et stricte secernit, modumque justum indicationi cuiquam accommodat. Sunt, qui sutura facta jam nihil superesse opinentur, et aegrotum paene omnino negligant; alii obstinate in unam se methodum conjiciunt, et ut satis frigoris applicent, curant aut altera ex parte naturae nimium committunt.

Emplastrum adhaesivum ad coërcendum maxime idoneum, emplastrum lithargyri, cui utilitatem majorem

hic ille tribuit, quod materiebus irritantibus careat, partes parum continet. Sutura ipsa tam firme et arcte conjungere debet, ut ad labia vulneris coërcenda emplastra nihil amplius prosint; partium circumdantium a mobilitate noxia defendendarum causa iis utamur. Ingens non raro hac in re abusus fit, horrenda emplastrorum copia affigitur, quae vincturis compressivis teguntur et fasciis insuper cinguntur; quin etiam mitris peculiaribus, (ut apud labium leporinum) facies velatur. Quo fit, ut impervia illa involucra frigus arceant, fundus et foramina puncta purulenta fiant, fila acusve superficiem perrodant, texturae postremum in gangraenam nonnunquam abeant. Totam rimam emplastris occultam esse vetitum est, singula splenia partibus consutis fulcris sint, ita, ut splenium quodque cum rima angulum efficiat; eorum extremitates in utroque latere transverso splenio conjungantur, ut sint semotu difficiliores. Emplastrorum longitudo regionis mobilitate respondeat. Si splenii latioris uniuscujusque loco complura angustiora juxtaponuntur, paullum immobilius adhaerent.

Fasciae plerumque superfluae sunt, nisi forte motio alicujus articuli, quo extensio fieret, timenda est, si ligamentum capsulare maxillae laesum sit.

Enthemata frigida diversa ratione tractantur: aegrotus in latere incolumi quietus cubet, ne rideat neve loquatur, cibos quam potissimum fluidos et comminutos consumat. Lintea aqua fontana recenti frigidissima rigentur aut melius super glaciem expandantur et mutuo vulneri imponantur leniter antea expressa, ne nimis stillent neve justo sicciores sint. Expressio non tota manu fiat, sed lintei fines extremi digitis prehendantur

et torquendo aqua emittatur (quomodo mulieres lavantes facere solent); ita manus calorem suum cum linteo non communicat. Vesica glacie contusa impleta nimis premit, et si suspensa est, incommode fertur et aegrotum, cervicem rigidam tenere coactum, fatigat; quam ob rem lintea sufficiunt. Acuum fixarum fines amputati habenula angusta tegere juvat, ne lintea in iis haesitent; nec non lobuli parvi iis supponi possunt, quominus cute acrius sentiantur.

Adjuvetur frigus externum cura antiphlogistica; attamen non desideratur, ut aegrotus versetur in minima vita. Eccoprotica, ut salia, senna, electuarium, syrupus domesticus, cum diaeta parca sufficiunt. Febri acutiori accedenti venaesectione oppugnatur, alias complicationes secundum therapiae normas tractare studendum est.

Quaestio admodum dubia est, quamdiu enthemata frigida sint continuanda, quoto die desinenda. Hic haeret aqua; hic ineptiae maximae non raro committuntur. Constitutio individua, status praesentis conspectus, et symptomatum irritationis an torporis clara cognitio medico amussi sint. Dum ardor, tumor, dolor, tensio magna adsunt, praesertim si erethica corporis conditio substracta est, frigus admittatur; si torpor quidam adsit et neque tumor neque reactio manifestetur, enthemata frigida interdum intermittantur, aliquando enim inflammatio, ut concretio fiat, requiritur. Plagae sutae superficies postridie sicca esse debet et crusta quadam tenaci et lympida oblita; nempe lympha plastica secernitur, quae labia vulneris conglutinat et aëre exsiccatur. Saepe vulnus alibi prima intentione sanatur, alibi idem suppurat, exempli gratia vulnera irregularia, lo-

bata, quassa. Raro sine inflammatione ulla prima intentio evenit, hoc in senibus tantum exhaustis occurrit; ibi sanatio non lympha plastica, sed exsudato quodam efficitur. Aetas juvenilis ad primam intentionem bene inclinat; qui succis nimis turgent, suppurationi magis expositi sunt, item scrophulosi, dyscrasici et potatores; flavo capillo praediti ad primam intentionem, at vero iidem ad erysipelas promptiores, quam quibus capillus est fuscus seu niger. Prima intentione non inhibita, generaliter die secundo aut tertio enthematibus frigidis desistere permissum est, dein proximis diebus lintea aqua saturnina vel aqua Goulardi, adstringendo saepe utilissima, tinguntur et applicantur. Acus secundo aut tertio die forcipe aut tenaculo inter lenem torsionem ex eodem, per quod primum intrarunt, foramine extrahuntur, si quidem sutura circumvoluta fuit. Suturae nodosae fila forfice tenui dissecantur et tenaculo nodum prehendente removentur.

Emplastra singula per proximos dies imposita revulsionem praecavent. Tunc, ut convalescens conclavi diutius includatur non necesse est; vulnerum faciei residua aëre optime extingui experientia probat.

Simulac prima intentio non successit et suppuratio incepit, frigore non porro utendum est, quodsi adhuc adhibeatur, vis vitalis opprimitur, metastases fiunt, pus certe imbecille et ichorosum granulationem non profert. Suppuratione apparente acus seu fila extrahantur et quidem non cuncta uno die, sed sensim; emplastris margines deinde sibi appropinquentur. Pus si se demergit, vincturis compressivis sursum urgeatur. Aqua saturnina calida cum infuso chamomillae

ita mixta, ut color sit aurantiacus, suppuratonis accelerandae et corrigendae causa applicetur.

Praeter suturas nodosam et circumvolutam nunc aliae nullae in usu sunt. Clavata enim sutura incommoda est et quum vulnus ubique comprimat sanguinis affluxum, qui ad vitalitatem sustinendam requiritur, undique arcet. Sutura pellionum margines in lineam flexam atque iniquam constringens non minus raro commendatur. Neutra cicatricum subtilium formatione illas methodos usitatas aequat; ergo ubi de vulnerum faciei suturis sermo est, earum tractatio amplior plane omitti potest. Sutura sic dicta sicca sutura non est.

LITERATURA.

Celsus de medicina.
Albucasis Chirurgia.
Ambr. Paraei opera.
Galenus de methodo medendi.
Fabricius ab Aquapendente, Chirurgia.
Sculteti Armamentarium chirurgicum.
Richter Anfangsgründe der Chirurgie.
B. Bell Chirurgie.
v. Rudtorffer Instrumentarium chirurgicum selectum.
Heister Chirurgisches Handbuch.
Larrey Traité de médecine et chirurgie.
Lombard Clinique de plaies récentes, où la suture est utile et de celles, où elle est abusive etc.
Langenbeck Nosologie u. Therapie der chirurgischen Krankheiten.

Dieffenbach. Die abgeänderte umschlungene Naht als Heilmittel bei Gesichtswunden. In Heckers Annalen. Juni 1827.

Krombholz Abhandlungen aus dem Gebiete der gesammten Akologie etc. mit Kupfertafeln.

Garengeot Nouveau Traité des instruments de chirurgie les plus utiles.

Benedict kritische Darstellung der Lehre von den Verbänden u. Werkzeugen der Wundärzte. Lpz.

Donis Cours d'opération de chirurgie.

Platner Institutiones chirurgiae rationalis.

Pibrac sur l'abus des sutures. (Mem. J. Chir. T. II.)

Lemaire Sur la reunion de plaies. Paris 1817.

Blasius Handwörterbuch d. Chir. etc. Bd. XV.

Rust Handbuch der Chirurgie Bd. XV.

Halleri Bibliotheca chirurgica. Vol. II.

Bönten De vulnerum sutura dissertatio. Berlin. 1827.

Chelius Chirurgie.

Bierkowsky Beschreibung und Abbildung chirurgischer Operationen. Berlin 1827.

v. Graefe's Journal.

Dieffenbachs chirurg. Erfahrungen etc. Berlin 1829.

Arnemann Uebersicht der berühmtesten u. gebräuchlichsten chirurg. Instrumente. Göttingen 1796.

Fritze Miniatur-Armamentarium etc. Berol. 1836.

Fig. I.

Acus in pagina 13 descripta.

1. Acus cum filo ad libitum tenuis.
2. Acus, postquam plagae labia transfixit.
3. Acus, dum retrahitur.

Fig. II.

Acus in pagina 21 descripta.

1. Acus cum capite tubulato libita soliditate.
2. Acus dum alterum vulneris labium ex interno pariete versus superficiem externam perforat.
3. Acus per utrumque labium missa et, ad filum circumvolvendum prompta, in vulnere fixa.

VITAE CURRICULUM.

Natus sum Arminius Wollheim, Vratislaviae postridie Idus Martii ann. MDCCCXVII, fidei veteri addictus, patre optimo Salomone, quem ut diu Deus servet, oro; matre Sara e gente Rawitz, qua jam e prima pueritia orbus sum. Literarum elementis in Gymnasio Vratislaviensi Fridericiano imbutus, Berolinum me contuli, ubi Gymnasium Friderico-Guilelmum frequentavi, in eadem urbe denique Gymnasium Fridericianum, sub praestantissimo Ribbeck tunc florens, adii, unde maturitatis testimonio exstructus, ad universitatem literariam Berolinensem transivi, quorum civibus illustrissimus Strauss Calendis Octobris anni MDCCCXXXIV me adscripsit. Philologiae studio incubiturus ab illustri ab Hagen in facultatem philosophicam receptus sum. Postquam illustrissimum Boeckh de encyclopaedia et methodologia philologica, de literatura Graeca, de Platonis republica et de antiquitatibus Graecis, nec non de metrice, Ill. Steffens de hodegetice Ill. ab Henning de logice, Cel. Heyse de Sophoclis Philocteta et de Horatii arte poëtica, Ill. Zumpt de Ciceronis opere de officiis, Cel. Werder de Schillero philosopho legentes audieram, ingenti cupiditate inpulsus studium philosophicum cum medico commutavi et ab Ill. Wagner medicinae studiosis anno MDCCCXXXVI mensis Decembris die tertio adscriptus sum. Inde in universitate literaria Berolinensi hucusque studiis incumbens, hisce interfui scholis: Illustrissimi Müller de anatomia corporis humani, de anatomia sensuum organorum, de physiologia generali et de generationum physiologia, Ill. Mitscherlich de chemia, Ill.


Lichtenstein de zoologia, Cel. Dove de physice, Cel. Burmeister de zoologia, botanice et mineralogia, Cel. Mitscherlich de materia medica, Ill. Hecker de symptomatologia et therapia generali, Ill. Jüngken de oculorum morbis, Ill. Busch de arte obstetricia. Arte cadavera secandi Ill. Müller et Schlemm me instruxerunt. Clinicas exercitationes medicas, chirurgicas, ophthalmiatricas frequentavi virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum: Osann, Wagner, Barez, Schönlein, de Gräfe, Rust et Dieffenbach. Quibus omnibus viris honoratissimis gratias maximas habeo.

Tentaminibus et philosophico et medico, item examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina ac chirurgia honores in me conferantur, fore spero.

THESES DEFENDENDAE.

1. In vulneribus penetrantibus aër magis, quam sanguinis profluvium timendus.
2. Morbus Brightii similes in systemate uropoetico, ac scirrhus hepatis in bilifico mutationes prae se fert.
3. Transfusio sanguinis ultimum nonnunquam refugium est.
4. Tenotomia orthopaediae fundamentum est.
5. Gravidarum vomituritio vel vomitus chronicus non est opprimendus.
6. Infanticidium ad maniam nonnunquam referendum.

F. I.



F. II.

